

tim se Christiánum esse palam professus est. Qui várie cruciátus una cum Tryphóne rápitur ad Jovis simulácrum : quæ státua Tryphóne oránte concidit. Quare plumbátis crudelissime contúsi, nobilissimum martyrium consecúti sunt, quarto Idus Novémbris. Eódem die virgo quædam, cui nomen Nympha, cum Jesum Christum verum esse Deum clara voce testaretur, martyrii palmam ad virginitatis coronam adjúxit.

Te Deum. 19.

In Laudibus fit Commem. simpl. *Añã.* Vestri capilli cápitis omnes numeráti sunt : nolite timere : multis passéribus meliôres estis vos. *℣.* Exsultábunt.

Oratio. Fac nos. 583.

Vesperæ a Capitulo de sequenti.

DIE XI. NOVEMBRIS.

S. Martini

Episc. et Conf. Duplex.

IN I. VESPERIS.

Si dicendæ sint integræ, *Añã* erunt de Laud. 592. Psalmi ut in j. Vesperis de Communi Apostol. [2] Capit. Hymnus et *℣.* de Communi Conf. Pont. [70]

Ad Magnif. Añã. O beátum virum, cujus ánima paradísium pössidet : unde exsúltant Angeli, lætántur Archángeli, chorus Sanctórum proclámat, turba Vírginum invítat, Mane nobiscum in ætérnum.

Oratio.

DEus, qui cónspicis, quia **D**ex nulla nostra virtúte subsístimus : concede propítius, ut intercessióne beáti Martíni Confessoris tui atque Pontificis, contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

Et fit Commem. præced.

Añã. Hic vir despiciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu. *℣.* Justum.

Oratio ut supra. 582.

Deinde S. Mennæ Mart.

Añã. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : fundátus enim erat supra firmam petram. *℣.* Glória.

Oratio.

PRæsta quæsumus omnípotens Deus : ut qui beáti Mennæ Mátyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitat. Laudémus Deum nostrum, * In confessióne beáti Martíni. *Ps.* Veníte. 2.

Hymnus. Iste Confessor. de Communi. [70]

In I. Nocturno.

Añã. Martínus adhuc catechúmenus hac me veste contéxit.

Psalmi j. et ij. Noct. de Communi Conf. Pont. [72]

Añã. Sanctæ Trinitátis fidem Martínus Confessus est, et baptísmi grátiam percépit.

Añã. Ego signo crucis, non clypeo protéctus, aut gálea, hóstium cúneos penetrábo secúrus.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. *℟.* Stulam glóriæ índuit eum.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio j. Cap. iij.



Idélis sermo : Si quis episcopátum desiderat, bonum opus desiderat. Opórtet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxóris virum, sóbrium, prudentem, ornátum, pudícum, hospitálem, doctórem, non vinoléntum, non percussórem, sed modéstum : non litigiósum, non

cúpidum, sed suæ dómui bene præpósitum : fílios habéntem súbditos cum omni castitáte. Si quis autem dómui suæ præesse nescit, quómodo Ecclésiæ Dei diligéntiam habébit? Non neóphytum : ne in supérbiam elátus, in júdicium incidat diaboli. Opórtet autem illum et testimoniúm habére bonum ab iis qui foris sunt, ut non in oppróbrium incidat, et in láqueum diaboli.

℟. Hic est Martínus eléctus Dei Póntifex, cui Dóminus post Apóstolos tantam grátiam conférre dignátus est, * Ut in virtúte Trinitátis Deíficæ mereretur fieri trium mortuórum suscitátor magníficus. *℣.* Sanctæ Trinitátis fidem Martínus confessus est. — Ut in virtúte.

De Epístola ad Titum.

Lectio ij. Cap. j. b

OPórtet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatórem : non supérbum, non iracúndum, non vinoléntum, non percussórem, non turpis lucrí cúpidum : sed hospitálem, benignum, sóbrium, justum, sanctum, continéntem, amplecténtem eum, qui secúndum

doctrinam est, fidélem sermónem : ut potens sit exhortári in doctrína sana, et eos, qui contradicunt, argúere. Sunt enim multi étiam inobediétes, vaniloqui, et seductóres : máxime qui de circumcisióne sunt : quos opórtet redárgui : qui univérsas domos subvértunt, docétes quæ non opórtet, turpis luci grátia.

R. Dómine, si adhuc pópulo tuo sum necessárius, non recúso subire propter eos labórem : * Fiat volúntas tua. **V.** Oculis ac mánibus in cœlum semper inténtus, invíctum ab oratióne spíritum non relaxábat. — Fiat.

Lectio iij.

Cap. ij.

TU autem lóquere quæ decent sanam doctrinam : Senes ut sóbrii sint, pudíci, prudétes, sani in fide, in dilectiÓne, in patiéntia : Anus simíliter in hábitu sancto, non criminatríces, non multo vino serviétes, benedocétes : ut prudéntiam dóceant adoléscentulas, ut viros suos ament, filios suos diligant, prudétes, castas, sóbrias, domus curam habétes, benignas, súbditas viris suis, ut non blasphemetur verbum Dei. Júvenes simíliter hortáre ut sóbrii sint. In ómnibus tépsum præbe exéplum bonórum óperum, in doctrína, in integritáte, in gravitáte, verbum sanum, irreprensibile : ut is, qui ex advérso est, vereátur, nihil habens malum dicere de nobis.

R. O beátum virum Martínum Antístitem, * Qui nec mori tímuit, nec vivere recusávit. **V.** Dómine, si adhuc pópulo tuo sum necessárius, non recúso labórem : fiat volúntas tua. — Qui. **Gloría Patri. Qui.**

In II. Nocturno.

Añã. Confido in Dómino, quod filia mea précibus tuis reddénda sit sanitáti.

Añã. Tetrádius cógnota Dei virtúte, ad baptísmi grátiam pervénit.

Añã. O ineffáblem virum, per quem nobis tanta mirácula corúscant.

V. Elégit eum Dóminus sacerdotem sibi. **R.** Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

Lectio iij.

Martínus, Sabáriæ in Pannónia natus, cum décimum attingisset annum, invítis

paréntibus ad Ecclésiám confúgiens, in catechumenórum númerum ascribi voluit. Quíndecim annos natus in militiam profectus, primum in Constantii, deinde Juliáni exércitu militávit. Qui cum nihil haberet præter arma, et vestiméntum quo tegebátur, Ambiáni, páuperi ac nudo ab eo petéti, ut Christi nómine sibi elemósynam tribúeret, partem chlámidis dedit. Cui sequéti nocte Christus dimidiáta illa veste indútus apparuit, hanc mittens vocem : Martínus catechúmenus hac me veste contéxit.

R. Oculis ac mánibus in cœlum semper inténtus, * Invíctum ab oratióne spíritum non relaxábat. **V.** Dum sacraménta offerret beátus Martínus, globus ígneus apparuit super caput ejus. — Invíctum.

Lectio ii.

Decem et octo annos cum haberet, baptizátus est. Quare relicta militári vita, ad Hilárium Pictaviénsensem Episcopum se cóntulit, a quo in Acolythórum númerum redáctus est. Post factus Episcopus Turonénsis, mo-

nastérium ædificávit, ubi cum octogínta mónachis sanctíssime aliquándiu vixit. Qui cum póstea ad Candacénsensem vicum suæ diœcésis in gravem febrim incidisset, assídua Deum oratióne precabátur, ut se ex illo mortáli cárcere liberáret. Quem audiétes discipuli, sic rogábant : Cur nos pater déseris? cui nos míseros derelínquis? Quorum voce commótus Martínus, ita Deum orábat : Dómine, si adhuc pópulo tuo sum necessárius, non recúso labórem.

R. Beátus Martínus óbitum suum longe ante præscívit, dixítque frátribus, * DissolutiÓnem sui corpóris imminére, quia judicábat se jam resólvi. **V.** Viribus corpóris cœpit repénte destítui, convocátisque discipulis dixit. — DissolutiÓnem.

Lectio vi.

SED cum eum in illa veheméti febre supínus orántem vidérent discipuli, suppliciter ab eo petiérunt, ut converso corpore, tantisper, dum remitteret morbi vis, pronus conquiesceret. Quibus Martínus, Sínite me, inquit, cœlum pótius, quam

terram aspícere, ut suo jam itínere itúrus ad Dóminum spíritus dirigátur. Instánte jam morte, viso húmáni géneris hoste, Quid, inquit, astas cruénta béstia? nihil in me funéste repéris. Ea in voce, unum et octogínta annos natus, ánimam Deo réddidit : quam Angelórum chorus excépit, eósque divínas canéntes laudes multi, in primisque sanctus Severinus Coloniénsis Episcopus, audierunt.

✠. Dixérunt discipuli ad beátum Martínum : Cur nos pater déseris, aut cui nos desolátos relínquis? * Invádent enim gregem tuum lupi rapáces. ✠. Scimus quidem desideráre te Christum, sed salva sunt tibi tua præmia, nostri pótius miserére, quos déseris. — Invádent. Glória Patri. Invádent.

In III. Nocturno.

Añã. Dóminus Jesus Christus non purpurátum, aut diadémate reniténtem se ventúrum esse prædixit.

Psalmi ut in iij. Noct. de Communi unius Mart. [38]

Añã. Sacérdos Dei Martíne, apérti sunt tibi cœli, et regnum Patris mei.

Añã. Sacérdos Dei Martíne, pastor egrégie, ora pro nobis Deum.

✠. Tu es sacérdos in ætérnum. ✠. Secúndum órđinem Melchisedech.

Lectio sancti Evangéllii secúndum Lucam.

Lectio viij. Cap. xj. e

IN illo témpore : Dixit Jesus discipulis suis : Nemo lucérnam accéndit, et in abscondito ponit, neque sub módio : sed supra candelábrum, ut qui ingrediúntur, lumen vídeant. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Episcopi.

Lib. 7. Comment. in Luc. cap. xj. post init.



Uia in superioribus Ecclesiam synagógæ prætulit, hortáturnos, ut fidem pótius nostram ad Ecclesiam transferámus. Lucérna enim fides est, juxta quod scriptum est: Lucérna pédibus meis verbum tuum, Dómine. Verbum enim Dei fides nostra est : verbum Dei lux est. Lucérna est fides. Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum. Lucérna autem lucére non potest, nisi aliúnde lumen accéperit

✠. O beatum virum, in cujus tránsito Sanctórum canit número, Angelórum exsultat chorus, * Omniúmque cœlestium Virtútum occúrrit psaléntium exercitus. ✠. Ecclesia virtúte roborátur, sacerdótes Dei revelatióne glorificántur, quem Michael assúmpsit cum Angelis. — Omniúmque.

Lectio viij.

HÆC est lucérna quæ accénditur, virtus scilicet nostræ mentis et sensus, ut drachma illa possit, quæ perierat, reperiri. Nemo ergo fidem sub lege constituat. Lex enim intra mensúram est, ultra mensúram grátia : lex obúbrat, grátia clarificat. Et ideo nemo fidem suam intra mensúram legis inclúdat, sed ad Ecclesiam cónferat, in qua septifórmis Spíritus relúcet grátia, quam princeps ille sacerdótum fulgóre supérnæ divinitátis illúminat, ne eam legis umbra restínguat. ¶ Dénique lucérna illa, quam matutinis vespertinisque tempóribus ritu véteri Judæórum princeps sacerdótum solébat accéndere, velut sub módio sita

legis evánuit : et civitas illa Jerúsalem, quæ in terris est, quæ occidit Prophétas, quasi in conválle fletus pósitá delitescit : illa autem Jerúsalem, quæ in cœlo est, in qua militat fides nostra, in illo altíssimo ómnium locáta monte, hoc est Christo, non potest ténebris et ruínis hujus mundi abscondi, sed fulgens candóre solis ætérni, luce nos grátia spiritalis illúminat.

✠. Martínus Abrahæ sinu lætus excipitur : Martínus hic pauper et módicus, * Cœlum dives ingreditur, hymnis cœlestibus honorátur. ✠. Martínus Episcopus migrávit a sæculo : vivit in Christo gemma sacerdótum. — Cœlum. Glória Patri. Cœlum.

Pro S. Menna Martyre.

Lectio ij.



Ennas Ægyptius, christiánus miles, in persecutióne Diocletiáni et Maximiani imperatórum, cum pœnitentiæ causa in solitúdinem secessisset; natáli die imperatórum, quo pópulus célebris spectáculo tenebátur, in théátrum prosíliens, libera voce Gentí-

lium superstitionem insectabatur. Quamobrem comprehensus, et Pyrrho praeside, in metropoli Cottiensium Phrygiae victus, loris crudeliter caeditur: deinde equuleo tortus, lampadibus ardentibus ad corpus admotis, plagisque cilicio confricatis, tum per tribulos et virgas ferreas manibus ac pedibus colligatis tractus, plumbatis etiam contusus, demum gladio interficitur, in ignemque conjicitur. Corpus inde a Christianis ereptum sepultum est, ac postea Constantinopolim translatum. *Te Deum.* 19.

**AD LAUDES,
et per Horas, Añae.**

1. Dixérunt discipuli* ad beatum Martinum: Cur nos pater deseris, aut cui nos desolatos relinquis? invadent enim gregem tuum lupi rapaces.

2. Dómine,* si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua.

3. O virum ineffabilem,* nec labore victum, nec morte vincendum, qui nec mori tímuit, nec vivere recusavit.

4. Oculis ac manibus in

caelum semper intentus, invictum ab oratione spiritum non relaxabat, allel.

5. Martinus Abrahæ sinu* laetus excipitur: Martinus hic pauper et modicus, caelum dives ingreditur, hymnis caelestibus honoratur.

Capitulum. Eccli. xlv. c

Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, et inventus est justus: et in tempore iracundiae factus est reconciliatio.

Hymnus.

Jesu Redemptor omnium,
Perpes corona Praesulum
In hac die clementius
Indulgeas precantibus.

Tui sacri qua nominis
Confessor almus claruit:
Hujus celebrat annua
Devota plebs solennia.

Qui rite mundi gaudia
Hujus caduca respuens,
Aeternitatis praemio
Potitur inter Angelos.

Hujus benignus annue
Nobis sequi vestigia:
Hujus precatu servulus
Dimitte noxam criminis.

Sit Christe Rex piissime
Tibi, Patrique gloria,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc, et per omne saeculum.
Amen.

V. Justum deduxit Dominus per vias rectas. *R.* Et ostendit illi regnum Dei.

Ad Bened. Añae. O beatum virum, cujus anima paradysum possidet: unde exsultant Angeli, laetantur Archangeli, chorus Sanctorum proclamatur, turba Virginum invitat, Mane nobiscum in aeternum.

Oratio.

Deus, qui conspicias, quia ex nulla nostra virtute subsistimus: concede propitius, ut intercessionem beati Martini Confessoris tui atque Pontificis, contra omnia adversa muniamur. Per Dominum.

Et fit Comm. S. Mennae, Añae. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam. *V.* Justus ut palma. *Oratio.* Praesta. 586.

AD TERTIAM.

Capit. Ecce sacerdos. ut supra. 592.

R. br. Amavit eum Dominus,* Et ornavit eum. Amavit. *V.* Stulam gloriae induit eum. Et ornavit. Gloria Patri. Amavit.

V. Elegit eum Dominus sacerdotem sibi. *R.* Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccli. xlv. c

NON est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi: ideo jurejurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam.

R. br. Elegit eum Dominus,* Sacerdotem sibi. Elegit. *V.* Ad sacrificandum ei hostiam laudis. Sacerdotem. Gloria Patri. Elegit.

V. Tu es sacerdos in aeternum. *R.* Secundum ordinem Melchisedech.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. xlv. c

Fungi sacerdotio, et habere laudem in nomine ipsius, et offerre illi incensum dignum in odorem suavitatis.

R. br. Tu es sacerdos,* In aeternum. Tu es. *V.* Secundum ordinem Melchisedech. In aeternum. Gloria Patri. Tu es.

V. Justum deduxit Dominus per vias rectas. *R.* Et ostendit illi regnum Dei.

IN II. VESPERIS.

Añae de Laudibus. 592. Psalmi ut in j. Vesp. de Comm. Apost. [2] et loco ultimi, Ps. Meménto. [84]

Capitul. et Hymnus de Communi. [85]**V.** Justum deduxit.

Ad Magnificat, Añã. O beatum Pontificem, qui totis visceribus diligebat Christum Regem, et non formidabat imperii principatum : o sanctissima anima, quam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit.

Et fit Comm. sequentis.

DIE XII. NOVEMBRIS.

S. Martini I.**Papæ et Mart. Semidupl.****Omnia de Comm. unius Mart. [29] præter seq.**

Añã. Iste sanctus pro lege Dei suicertavit usque ad mortem, et a verbis impiorum non timuit : fundatus enim erat supra firmam petram.

V. Glória et honóre.**Oratio.**

DEus, qui nos beati Martini Martyris tui atque Pontificis annua solemnitate lætificas : concede propitius, ut cujus natalitiam colimus, de ejusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum nostrum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.**In II. Nocturno.****LECTIO III.**

Artinus, Tuderti in Umbria natus, initio pontificatus et litteris, et legationibus missis operam dedit, ut Paulum Constantinopolitanum Patriarcham a nefaria hæresi ad catholicae fidei veritatem revocaret. Qui Constante imperatore hæretico fretus, eo amentiae progressus fuerat, ut sedis apostolicæ legatos varie in insulas relegarit. Quo ejus scelere commotus Pontifex, coacto Romæ concilio centum quinque Episcoporum, eum condemnavit.

R. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum : * Et dedit illi claritatem æternam. **V.** Descenditque cum illo in foveam : et in vinculis non dereliquit eum. — Et dedit.

LECTIO IV.

QUÆ causa fuit Constanti mittendi in Italiam Olympium exarchum, ut Martinum Pontificem interficiendum, aut ad se perducendum curaret. Igitur Olympius Romam veniens lictori man-

dat, ut Pontificem, dum in basilica sanctæ Mariæ ad Præsepe Missarum solemniam celebraret, occideret. Quod ubi lictor aggréditur, cæcus repente factus est.

R. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine, * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

V. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis : posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. — Et.

LECTIO VJ.

CONSTANTI autem imperatori ex eo tempore multæ calamitates inciderunt : quibus nihilo melior factus, Theodorum Calliopam ad Urbem mittens imperat, ut Pontifici manus injiciat. A quo per fraudem captus Martinus, et Constantinopolim perductus, deinde in Chersonesum relegatus, ibi ob catholicam fidem ærumnis confectus, pridie Idus Novembris cessit e vita clarus miraculis : cujus corpus Romam postea translatum, in ecclesia conditum est, quæ sanctorum Silvestri et Martini nomine dedicata erat. Præfuit Ecclesiæ annos sex, mensem

unum, dies viginti sex. Hæbuit ordinationes duas mense Decembri, quibus creavit Presbyteros undecim, Diaconos quinque, Episcopos per diversa loca triginta tres

R. Stola. [37]

In iij. Nocturno, Homil. Si consideremus. **de Communi. [39]**

R. vij. Dñe prævenisti.**Vesperæ a Capitulo de sequenti.**

DIE XIII. NOVEMBRIS.

S. Didaci**Confessoris. Semiduplex.**

Omnia de Comm. Conf. non Pont. [97] præter sequentia.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiternè Deus, qui dispositione mirabili infirma mundi eligis, ut fortia quæque confundas : concede propitius humilitati nostræ ; ut piis beati Didaci Confessoris tui precibus ad perennem in cælis gloriam sublimari mereamur. Per Dominum.

Et fit Commem. præced.

Añã. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.

V. Justus ut palma.

In j. Nocturno, Lectio-
nes de Scriptura occur-
rente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Didacus Hispanus ex
óppido sancti Ni-
colái de Portu
diocésis Hispalénsis, ab
ineunte aetate pii sub sa-
cerdotis disciplina, sancti-
orís vitæ solitaria in ec-
clésia tirocinium exércuit.
Deinde ut firmius Deo se
conjúngeret, in convéntu
de Arrizzáfa fratrum Mi-
nórum (quos Observátes
vocant) sancti Francisci
régulam in statu laicali
professus est. Magna ibi
alacritate húmilis obe-
diéntiæ, et reguláris ob-
servántiæ jugum súbiens,
contemplatióni in primis
déditus, mira Dei luce per-
fundebátur, ádeo ut de
rebus cœlestibus, litterá-
rum expers, mirándum in
modum et plane divínus
loqueretur.

℞. Honéstum fecit illum
Dóminus, et custodívit
eum ab inimicis, et a se-
ductóribus tutávit illum :
* Et dedit illi claritatem
aetérnam. ℞. Justum de-
dúxit Dóminus per vias
rectas, et osténdit illi re-
gnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

CAnáriis in insulis, ubi
frátribus sui órdis
præfuit, multa perpessus,
martyrii aestuans desidé-
rio, plures infidèles verbo
et exémplo ad Christi
fidem convértit. Romam
véniens anno jubilæi, Ni-
coláo quinto Pontífice,
ægotórum curæ in con-
vén-tu Aræ cœli destiná-
tus, eo caritátis afféctu
munus hoc exércuit, ut
Urbe annónæ inópia la-
boránte, ægrótis tamen,
quorum aliquándo úlcerá
étiam lambéndo abster-
gébat, nihil pénitus neces-
sárii defécerit. Exímia
quoque fides et grátia cu-
ratiónum in eo elúxit,
cum lámpadis, quæ col-
lucébat ante imáginem
beatissimæ Dei Genitri-
cis, quam summa devo-
tióne colébat, óleo ægros
inúngens, signo crucis
impresso, multórum mor-
bos mirabiliter sanáve-
rit.

℞. Amávit eum Dómi-
nus, et ornávit eum : sto-
lam glóriæ induit eum,
* Et ad portas paradísi
coronávit eum. ℞. Induit
eum Dóminus lorícam fí-
dei, et ornávit eum. —
Et ad portas.

Lectio ij.

Demum Complúti finem
sibi vitæ adesse intél-
ligens, lácera et obsoléta
indútus túnica, conjéctis
in crucem óculis, singulári
devotióne illis verbis ex
sacrohymnopronuntiátis:
Dulce lignum, dulces cla-
vos, dúlcia ferens pón-
dera, quæ fuísti digna portáre
Regem cœlórum, et Dómi-
num; ánimam Deo réddi-
dit, pridie Idus Novémbris,
anno Dómini supra millé-
simum quadringentésimo
sexagésimo tertio. Ejus
corpus cum menses non
paucos (ut pio confluén-
tium desidério fieret satis)
insepúltum mansisset,
quasi jam incorrupti-
onem indúerit, odórem suavís-
simum efflávit. Illum mul-
tis et illústribus miráculis
clarum Sixtus quintus
Pontifex máximus San-
ctórum número ascrípsit.

℞. Iste homo. [105]

In iij. Nocturno, Homil.
Pusillum gregem. de Com-
muni ij. loco. [115]
Vesperæ de sequenti.

Oratio.

EXcita, quæsumus Dó-
mine, in Ecclésia tua
Spíritum, quo replétus
beátus Jósaphat Martyr
et Póntifex tuus ánimam
suam pro óvibus pósuit :
ut, eo intercedénte, nos
quoque eódem Spíritu
moti ac roboráti, ánimam
nostram pro frátribus pó-
nere non vereámur. Per
Dóminum... in unitate
ejúsdem Spíritus.

Commem. præced. Aña.
Hic vir despiciens mun-
dum et terréna, triúm-
phans, divítias cœlo cón-
didit ore, manu. ℞. Justum.

In j. Nocturno, Lectio-
nes de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Josaphat Kuncewi-
tius nobilibus et
cathólicis parénti-
bus Vladimíriæ in Volhínia
natus, cum puérulus ma-
trem de Christi passióne
loquéntem audíret, jáculo
a latere imáginis Jesu Cru-
cifíxi immisso, vulnus in
corde suscepit. Dei amore
incensus, ádeo oratióni
aliisque piis opéribus in-
stáre cœpit, ut prove-
ctióribus adolescéntibus
exémplo et admiratióni
esset. Vicénnis inter clau-

DIE XIV. NOVEMBRIS.

S. Josaphat

Episc. et Mart. Duplex.

Omnia de Comm. unius
Mart. [29] præter seq.

strales sancti Basilii alumnos monasticam regulam professus, mirum quos in evangelica perfectione progressus fecerit. Nudis pedibus, frigidissima licet saeviente regionis hieme, incedebat: carnes nunquam, vinum non nisi ex obedientia adhibuit, asperimoque cilicio ad obitum usque corpus afflixit. Castitatis florem, quem ab adolescentia Virgini Deiparae voverat, inviolatum servavit. Virtutis doctrinaeque ejus brevi sic fama percrebuit, ut quamvis junior, Bytēni monasterio praefectus sit; mox Vilnensis Archimandrita, ac demum Archiepiscopus Polocensis, invitus quidem, sed Catholicis gestiētib; fuerit renuntiatus.

R. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam. **V.** Descenditque cum illo in foveam: et in vinculis non dereliquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

HAC dignitate auctus, nihil de priori vivendi ratione remittens, non-

nisi divinum cultum et creditarum sibi ovium salutem cordi habuit. Catholicae unitatis ac veritatis strenuus propugnator, totis viribus allaboravit ut schismaticos haereticosque ad communionem cum beati Petri sede reduceret. Summum Pontificem ejusque potestatis plenitudinem ab impudentissimis impiorum calumniis et erroribus, qua concionibus, qua scriptis pietate ac doctrina referentis defendere nunquam destitit. Episcopalem jurisdictionem et Ecclesiae bona a laicis usurpata vindicavit. Incredibile dictu est quot haereticos in sinum matris Ecclesiae revocaverit. Unionis vero Graecae Ecclesiae cum Latina Josaphatum promotorem existisse praclarissimum, etiam pontificia oracula diserte testantur. Ad haec, et templi Dei decori instaurando, et sacrarum virginum instruendis aedibus, aliisque piis operibus juvandis, mensae suae proventus ultro erogavit. In pauperes adeo effusus, ut cum olim inopiae cujusdam viduae sublevandae nihil occur-

reret, episcopale pallium, seu Omophorion, oppignorari jussit.

R. Desiderium animae ejus tribuisti ei Domine, * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

V. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. — Et.

Lectio vi.

TOT catholicae fidei incrementa perditissimorum hominum adeo excitaverunt odia, ut, conspiratione inita, Christi athletam ad necem quaerent; quam sibi immineret ipse in suo ad populum sermone: praenuntiavit. Cum itaque Vitescum pastoralis visitationis gratia profectus esset, illi archiepiscopales invadunt aedes; obvios quosque feriunt ac caedunt. Tum vir mitissimus quaerentibus sponte occurrit, eosque amice compellans, Filioli, inquit, quare familiares meos caeditis? Si quid contra me habetis, ecce adsum. Hinc impetu facto, eum verberebus contundunt, telis confodiunt, ac demum immani securi necatum, in flumen pro-

jiciunt; die duodecima Novembris anni sexcentisimivicesimi tertii supra millesimum, aetatis ejus quadragésimi tertii. Corpus mirabili luce circumfusum, ex imo fluminis alveo elatum est. Sanguis Martyris parricidis ipsis in primis profuit, qui fere omnes capitis damnati, ejurato schismate suum scelus detestati sunt. Cum tantus Praesul plurimis post obitum coruscaret miraculis, eum Urbanus octavus Pontifex maximus Beatorum honoribus decoravit. Pius nonus tertio Kalendas Julias anni millesimi octingentesimi sexagesimi septimi, cum saecularia Apostolorum principum sollemnia celebrarentur, coram patrum Cardinalium senatu, simulque astantibus fere quingentis, Patriarchis, Metropolitibus et Episcopis cujuscumque ritus, qui ex toto terrarum orbis convenerant, hunc ecclesiasticae unitatis assertorem, primum ex Orientalibus, sollemni ritu in Vaticana basilica Sanctorum ordini accensuit. Cujus Officium ac Missam Leo decimus tertius sum-